

ditandi. Donellus *ad l. 1. C. de Test. b. us.* Et quidem tum ratione itineris, cum non teneantur pedibus iter facere : tum ratione victus ; nam lautiore cibo in via & diversoriis isti homines alendi sunt quam vulgares. Verum hos sumtus itidem Judex moderabitur : ita tamen, ut sub æstimationem non veniant, quos verisimiliter aliquis domi facturum fuisset, nam & domi indiguit sumtibus ad alimenta pro se & suis liberis : qui verò ipsi decedunt, & quibus ob absentiam carere cogitur, æquum est, ut talium habeatur ratio à judice. Interim statim ipsi sumtus sunt conferendi, antequam domo pedem efferat, vel etiam isti sumtus itineris in judicio realiter deponendi ; alias venire non tenetur, nec ad hoc cogi poterit. Zieriz. *ad h. art. p. 86.* quod non caret ratione, quoniam durum est, testem de suis prius facere expensas, & postmodum eas non sine incommodo & jactura opum interveniente judicis officio repetere à testibus.

## ARTIC. LXXVI.

*Testes in jus, salvo conductu dato, non vocandos.*

Kein Zeugen für Recht zu vergleiten.

**S**oll keine Parthey / noch Zeuge vor den Richtern / oder Commissarien vor peinlicher Rechtfertigung vergleitet werden / Aber für Gewalt mögen die Partheyen und Zeugen / für Gericht vergleitet werden.

## AD ARTIC. LXXVI.

## ARGUMENTUM.

*Salvus conductus partibus litigantibus vel etiam Testibus à Judice, vel Commissario, excepto casu, quò vis publica & illicita, aut etiam potens adversarius metuendus est, concedi non debet.*

## EXEGESIS.

**D**uo sunt circa hunc articulum probè notanda I. *Quod partibus aut testibus ad judicium criminale evocatis seu citatis salvus conductus concedi non debeat* : quia salvus conductus conceditur ideò, ut vocatus ad judicium sit tutus à violenta injuria, aut injusta apprehensione. Sed locus judicii in se debet esse tutus & securus, in tantum, ut si quis citetur ad locum non tutum, impunè comparere non teneatur.

Nn

neatur.